

asserere. Confer Doctorem Wellerum contra D. G. C. Accedit & illud, Si dogma divinitatis Messianæ, non est de necessitate intrinseca medii ad consequendam salutem necessarii, licet illud in dubium vocare, ei contradicere, sententiam circa illud in horas mutare. Quod cum Remonstrantibus objiceretur a Theologis Leidensibus in censura cap. 1. §. 13. illi in Apolog. cap. 1. fol. 32. b. respondent, ac causam reddunt, quare non possit dogma de divinitate Christi habere pro necessario ad salutem, quia veterum Christianorum Ecclesia, cum iis, qui circa tempora Iustini credebant, Jesum Christum non esse nisi hominem ex hominibus, communionem coluerit, dummodo verum Messiam esse, & per eum Deum colendum firma cum ipsis fide crederent. Atqui per plurimos ante Iustini exortum annos, Ecclesiam Christianam eos, qui Messiam nudum hominem statuebant, gravissime detestatam fuisse, si istorum temporum annales vel maxime tacerent, ex solius Ignatii Episcopi Antiocheni epistolis ad Philadelph. & Smyrnenses, apertissime constat.

§. LXXXIV. Ad extremum, SPECIALISSIME textus Propheticus ostendit, Jesum Nazarenum esse verum Messiam, eumque jam exhibitum. Quia hæctenus a revelatione divina nulla persona edita fuit in lucem & audita, præter Jesum Nazarenum, quæ omnia hic enumerata, sibi vindicare jure meritoque potuerit, cum tamen necesse sit, aliquam personam jam dudum extitisse, quæ his divinis officiis inclaruerit. Illustris locus est, quo totam hanc tractationem obfirmamus, in L. Erubin cap. 3. fol. 83. col. 2. תנו רבנו אמר קרא הנה שולח לכם אליהו הנביא לפני בוא יום הא לא אתי אליה מאת מול אלה אמרונן לבית דין הגדול האסלקא דעתך מדאליה לנביא: Rabbini dixerunt, scriptum est: Ecce, ego vobis mittam Eliam Prophetam ante magnum illum diem. Querunt igitur, num existimatis, Eliam nondum venisse? Respondent: Imo semel jam apparuit, cæterum quod is rediturus sit, id fiet ante novissimum diem. Pergunt: Existimatisne, licet Elias non venerit, Messiam quoque non venisse? Scitote quod Messias jam dudum apparuerit, neque alius expectandus sit.

F I N I S.

Coll. otiss. A. 27, misc. 69